

Probatur I. Quia amor Patrie essentialiter prearequit cognitionem claram, & intuitivam DEI, non sic amor viae. II. Amor Patrie essentialiter prearequit objectum patiens in se, non item amor viae. III. Quia amor Patrie facit hominem beatum, non sic amor viae. IV. Cognitio DEI intuitiva, in Patria differt specie a cognitione DEI abstractiva in via: ergo etiam amor patrie specie differt ab amore viae.

Obijctur I. Corinib. 13. Caritas numquam excidit. Resp. explico: caritas infusa habitualis C. caritas actualis. Subdist. numquam excidit, quia erit in Patria eadem specie subalterna cum amore viae C. quia erit idem specie infusa amor in via, & patria N. II. In patria non erit caritas habitualis specie distincta a caritate viae: ergo nec actualis. R. N. conf. disparitas est; quia habitus supernaturales, cum dent simpliciter posse, habent se instar potentiarum quae possunt distinctos specie actus producere, cum tales habitus non generentur ex actibus: non sic de actibus. III. Amor viae & patrie habent idem objectum formale. R. D. diversimode tamen applicatum C. secus N.

ASSERTIO LXXXIV.

Non dantur virtutes Morales per se infusa. Scotus 2. d. 36. quae sit. unic. Scotistae, contra Thomistas.

Probatur I. Quia Concilium Tridentinum sess. 6. agens de justificatione impii, non facit mentionem de aliis virtutibus infusis, quam de fide, spe, & caritate. II. Quia non est necessitas admittendi virtutes morales per se infusas; cum actus virtutum moralium possint ordinari ad finem supernaturalem, fierique supernaturales, ac meritorii mediantibus virtutibus Theologicis, & gratia actuali. III. Quia nulla virtus moralis per se ordinat hominem immediate ad Deum sub ratione Deitatis beatificae attingendum: ergo nulla est per se infusa.

Obijctur I. Concilium Viennense dicit, in Baptismo infundi gratiam, & virtutes. Resp. per virtutes intelligit Theologicas. Innocentius autem III. c. majores, de Baptismo tantum ait, quod non concedatur absolute, a plerisque, fidem, aut caritatem, aliaque virtutes parvulis non infundi. II. Actus virtutum moralium sunt supernaturales, ac meritorii. Resp. D. ab extrinseco C. ab intrinseco N. III. Virtutes Theologicae sunt per se infusae; ergo etiam morales. Resp. N. conf. quia de Theologicis sic avertit Concilium Tridentinum, non sic de moralibus. Et quia Theologicae ordinant hominem immediate ad DEUM; non sic morales.

ASSERTIO LXXXV.

Dorum in solidam dominium esse non potest. Ita plerique Theologi, & Jurisperiti. Probatur. Quia sequeretur contradictio, videlicet, quod primus Dominus citra injuriam posset alterum impedire a dispositione illius rei, cujus est Dominus in solidum, quia est plenus Dominus illius rei, & etiam non posset impedire alterum, cum, & alter foret plenus Dominus illius rei: ergo.

Obijctur I. In instanti donationis donatarius est plenus Dominus: atqui etiam donans: ergo. Prob. min. Donans iuste disponit de re, quam donat: ergo. R. N. min. & D. prob. ant. donans iuste disponit per actum destructivum domini C. conservativum N. ant. II. Donatio est actus domini: ergo. R. D. ant. domini immediate praexistens C. adhuc existens N. quia est destructio domini. III. Donans habet potestatem donandi: ergo etiam dominium. Resp. N. ant. cum conf. sed praesupponit dominium. Instatur; Actus secundus praesupponit actum primum: ergo actualis donatio supponit potestatem donandi. R. D. ant. si non fit destructivus actus primi C. si fit destructivus neg. ant. IV. Nemo dat, quod non habet: ergo cum donans det alteri dominium, habet dominium. R. D. ant. quod non habet ante donationem consummatam Conc. consummata donatione neg. V. In V. T. plures uxores habebant dominium in idem corpus mariti. R. D. Dominium plenum N. secus C.

ASSERTIO LXXXVI.

Simplex usus facti nullum est dominium. Ita Nicolai III. c. exiit, qui seminat, de verb. sign. in 6. Clemens V. in Clem. extra, de Paradiso, de verb. sign. Martinus V. Nicolaus V. Gregorius XIII. & alii.

Probatur I. Simplex usus facti est usus concessus, assidue revocabilis: atqui talis non est dominium, cum talis non

possit alterum obligare in suum commodum: ergo. II. Religiosus incapax dominii in particulari, adhuc tamen in particulari potest habere licentiam utendi rebus, sive usu sine consumptibiles, sive non: ergo simplex usus facti non est dominium.

Obijctur I. Joannes XXII. in extrav. ad conditorem, declaravit contrarium. R. D. Definitive, ut Pontifex N. pure assertive, ut privatus Doctor C. quia haec quaestio non est dogmatica fidei, vel morum. Deinde idem Papa, hanc suam affectionem in fine vitae revocavit, ut testatur Emanuel Rodriguez tom. 3. II. Franciscanus utens pane, si non habet usum juris; ergo utitur injuste. Resp. D. seq. si Dominus sit invitus C. si non sit invitus N. III. Si Dominus non sit invitus, iuste utitur pane: ergo jure. R. D. seq. ergo jure legali, & politico N. jure politico, & naturali C. IV. Franciscanus potest uti pane quomodocumque vult. Resp. Dist. de licentia Domini, & revocabiliter Conc. fecus, N.

Ex IV. Libro sententiarum, de Sacramentis in genere, & singulis in specie.

ASSERTIO LXXXVII.

In statu Innocentis, si perseverasset, non fuisset instituta Sacramenta. Scotus 4. d. 1. q. 3. cum suis.

Probatur I. Sacramenta instituta sunt ad subveniendum naturae per peccatum originale infirmatae; atqui in statu innocentiae natura humana fuisset sana per iustitiam originalem: ergo. II. Secundum sanctos Patres omnia Sacramenta fluxerunt e latere Christi mortui; atqui: ergo. III. Pro nostris Protoparentibus, quamdiu fuerunt in Paradiso, non fuerunt instituta Sacramenta; ergo nec pro eorum posteris in Paradiso; cum Protoparentes magis indiguisent Sacramentis, quam eorum posteris.

Obijctur I. In statu innocentiae fuissent sacrificia: ergo etiam Sacramenta. Resp. N. conf. quia sacrificia non sunt instituta ad subveniendum naturae corruptae, sicut Sacramenta. II. Si fuissent sacrificia: ergo fuisset Sacerdos. Resp. D. seq. designati per characterem ordinis N. publico ritu electi, sicut in veteri testamento C. III. Fuisset ibi Sacrificium Missae: ergo etiam Sacramenta Eucharistiae, & Ordinis. Resp. N. ant. quia ibi Christus non fuisset mortuus, & ideo nec fuisset sacrificium Missae ibi, nec Eucharistia, nec Ordo.

ASSERTIO LXXXVIII.

Remedium legis naturae contra peccatum originale erat Sacramentum proprie dictum. Scotus 4. q. 1. q. 7. Cum communi Theologorum.

Probatur. Remedium legis naturae erat signum sensibile, videlicet actus externus protestativus fidei in Messiam venturum directus a voluntate ministris ad infantem iuxta S. August. lib. 2. de nuptiis, & concup. c. 12. quia conjugebat parvulos tamquam membra Ecclesiae visibiles. deinde erat signum a DEO institutum, quia, cum DEUS velit omnes homines salvos fieri, debuit pro omnibus etiam parvulis instituisse remedium sufficiens ad salutem, applicabile ab aliis; cum parvuli per seiplos non possint procurare sibi salutem: Denique efficaciter conferebat gratiam sanctificantem, cum deleverit peccatum originale, quod nequit sine infusione gratiae deleri: & quidem ex opere operato: cum parvuli per actus bonos nequeant se disponere ad gratiam: ergo erat verum Sacramentum.

Obijctur. Deus in lege naturae non instituit remedium pro parvulis in utero materno decedentibus: ergo nec pro parvulis natis. R. N. conf. disparitas est; quia parvulis nondum natis remedium non est applicabile humano modo; secus est de natis.

ASSERTIO LXXXIX.

Circumcisio erat proprie dictum Sacramentum. Ita Doctores Seraphicus, Subtilis 4. d. 1. qu. 26. Irrefragabilis. Scotistae, & Recentiores.

Probatur. Circumcisio erat signum sensibile, ut patet: deinde erat a DEO instituta, & praecipua Abraham, & posteris eius, non solum ad distinguendos eos a gentibus, sed etiam ad delendam peccatum originale, iuxta illud sancti Augustini lib. 3. contra Julianum. cap. 18. dicens: Ex quo instituta est Circumcisio in populo DEI, ad purgationem veteris peccati valebat magnis, & parvulis, sicut Baptismus; Idem docent sancti Patres Prosper, Beda, Fulgentius &c. Ex quo etiam sequitur contulisse gratiam sanctificantem ex opere operato: ergo erat verum Sacramentum.

Obij-

ASSERTIO XCIII.

Actio transubstantiativa est solum adductiva, non productiva. Scotus 4. d. 11. q. 3. cum suis contra Thomistas, & Recentiores.

Probatur I. Verba consecrationis non significant productionem corporis Christi, sed tantum ejus praesentiam sub speciebus; atqui ad hanc sufficit actio adductiva, ut patet de replicatione in Physica: ergo. II. Corpus Christi utroque jam existens, & productum nequit de novo fieri de nihilo sui; alias dependeret essentialiter ab eadem causa totali, & non sic dependeret; nec Christus in Eucharistia foret Filius Beatissimae Virginis, cum non foret ab ea productus: ergo transubstantiatio non est productiva.

Obijctur I. Sancti Patres dicunt in Eucharistia corpus Christi fieri, & confici. Resp. D. secundum suam entitatem N. secundum suam novam praesentiam C. II. Transubstantiatio est actio substantialis; sed actio substantialis debet producere terminum substantialem, ergo transubstantiatio debet producere terminum substantialem, non alium, quam corpus, & sanguinem Christi. Resp. D. maj. est actio substantialis productiva N. conversiva C. maj. ad hanc autem sufficit, quod termino a quo succedat substantia, et si haec non producat; quia terminus ad quem solum debet dici succedens, non productus.

ASSERTIO XCIV.

Christus absolute potuisset prius existere in Sacramento Eucharistiae definitive, quam in utero Beatissimae Virginis MARIAE circumscriptive. Ita Scotus 4. d. 19. q. 4. cum suis, & Recentioribus, contra Cajetanum, & Thomistas.

Probatur. Corpus Christi est indifferens ad existentiam definitivam, vel circumscriptivam in loco; cum nec praesentia definitiva, nec circumscriptiva sit de ejus essentia; nec existentia definitiva dependeat a circumscriptiva: cum nec sit ejus effectus, nec proprietas, nec accidens: ergo DEUS absolute potuisset Christum prius ponere in Sacramento Eucharistiae definitive, quam in utero Beatissimae Virginis MARIAE circumscriptive, maxime, cum non appareat implicatio.

Obijctur I. Implicat corpus Christi existere definitive sine existentia ejus naturali. Resp. D. quae est intrinseca, & realiter identificata, & per quam ponitur extra causas, C. sine existentia circumscriptiva, quae est accidens connaturalis corpori quanto N. II. Corpus Christi nequit esse in Sacramento ante incarnationem. Resp. Dist. ante incarnationem simpliciter, & absolute sumptam C. modo circumscriptivo factam N. III. Sacramentum Eucharistiae fit per verba consecrationis in Persona Christi jam praesistentis prolata. Resp. Dist. defacto Conc. de possibili Neg.

ASSERTIO XCV.

Licet non debeat ex praecipio Christi communio sub utraque specie. Contra Petrum Dresdensem, Jacobellum Mineotem, Calvinum, Lutherum, Kemnitium, & alios Haereticos.

Probatur I. Quia Christus promisit vitam aeternam communicantibus sub una tantum specie: ergo non est necessaria utraque. Prob. ant. Christus ait J. 6. v. 52. si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, & v. 59. qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. II. Christus sub una panis specie se praebuit discipulis in Emmaus. Luc. 24. Item Act. 2. dicitur: erant autem perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis & Act. 20. una autem Sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem: ergo.

Obijctur I. Christus dixit: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Joan. 6. Resp. Praeceptum esse, ut accipiamus carnem, & sanguinem Christi, quod etiam fit in una specie, cum Christus totus upote vivens sit in qualibet specie. II. Bibite ex hoc omnes. Matth. 26. Resp. Et biberunt ex eo omnes. Marc. 10. adeoque solis Apostolis hoc dicitur. ergo.

Obijctur I. Sanctus Paulus Gal. 4. Sacramenta veteris legis appellat infirma, & egena elementa; col. 2. umbram futurorum bonorum. Conc. Florentinum ait Sacramenta veteris legis non contulisse gratiam. Resp. Ita omnia verificata de Sacramentis veteris legis, quae erant talia ex lege; at Circumcisio erat ex Patribus, 400. annis ante legem; hinc quatenus erat inserta legi non conferebat gratiam, sed quatenus erat ex Patribus, & determinatio remedii legis naturae. II. Circumcisio non erat remedium pro omnibus. Resp. sufficit, quod pro parte nobiliori Ecclesiae.

ASSERTIO XC.

Sacramenta novae legis causant gratiam sanctificantem, non physicam, sed moraliter. Scotus 4. d. 1. q. 5. cum suis, contra Thomistas, & Recentiores.

Probatur I. Quia nec merita Christi physice causant gratiam, cum amplius physice non existant; sed tantum moraliter, cum sint tantum causa meritorea ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. II. Sacramenta in usu consistentia utpote entia successiva non amplius existunt physice, quando producitur gratia, cum non causent, nisi essentialiter completa: ergo physice causare nequeunt gratiam. III. Baptismus reviviscens non existit physice, quando producit gratiam: ergo. IV. Sacramenta non habent virtutem inchoatam ad causandam physicam gratiam, alias daretur potentia quodlibetia; ergo non physice causant gratiam; sed moraliter, quatenus ob suam honestatem moralem conjunctam cum meritis Christi tamquam causa principali movent DEUM ad producendam physicam gratiam in subjecto illa suscipiente sine obice.

Obijctur: Sacra Scriptura, Sancti Patres, & Concilia asserunt Sacramenta vere causare gratiam. R. D. physice N. moraliter C. etenim causa moralis est etiam vera causa ex Aristotele 2. 2. & 5. Metaphys.

ASSERTIO XCI.

Sacramentum Eucharistiae formaliter, & in reo solas species importat, connotat tamen corpus, & sanguinem Christi sub ipsi contenta. Ita Doctores Seraphicus, & Subtilis 4. d. 8. q. 8. cum suis.

Probatur I. Ex Sequentia Ecclesiae: fracto demum Sacramento &c. atqui species tantum franguntur, & non contentum, ex eadem sequentia, signi tantum fit fractura, quae nec status, nec statura signati minuitur: ergo. II. Solae species continentur corpus, & sanguinem Christi sunt signi sensibile divinitus institutum ad causandam gratiam: ergo.

Obijctur I. Corpus, & sanguis Christi sunt etiam sensibilia per species. Resp. Dist. ex natura rei N. secus C. II. Species Eucharistiae nequeunt adorari. Latria. Resp. Dist. tamquam ratio formalis motiva adorationis C. tamquam objectum materiale N. III. Sacerdos non conficit species: Resp. D. secundum suam entitatem C. ut continentur corpus, & sanguinem Christi N. IV. Christus in Eucharistia causat gratiam in suscipientibus. Resp. Dist. ut causa meritorea principalis C. ut causa instrumentalis, & Sacramentalis N. V. Sacramentum Eucharistiae est cibus spiritualis animarum; atqui corpus Christi est cibus spiritualis: ergo. Resp. Dist. maj. ratione contenti C. maj. secus N. maj. ratione substantiae.

ASSERTIO XCII.

Qua vino mixta in calice, medietate tantum convertitur in sanguinem Christi. Ita Doctores Seraphicus, Angelicus, & Subtilis 4. d. 11. q. 7. cum sua Schola Angelica, & Subtili.

Probatur I. Ex Conc. Florentino solum vinum est materia valida consecrationis calicis: ergo non aqua. II. Illud solum est immediate consecrabile in sanguinem Christi; sub cuius accidentibus, facta consecratione, remanentibus, continetur sanguis Christi; atqui hoc tantum verum est de speciebus vini ex Conc. Trident. sess. 13. can. 2. definiente Transubstantiationem esse conversionem totius substantiae panis in corpus, & vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, nulla prorsus facta mentione alterius materiae transubstantiat, aut aliarum specierum: ergo.

Obijctur I. Sancti Patres asserunt, aquam consecrari, & in sanguinem verti. Resp. D. immediate N. medietate C. II. Saltem aqua, mixta vino, per accidens erit immediate consecrabilis. Resp. N. quia etiam, si hostiae admisceatur pars non triticea, haec nec per accidens est consecrabilis. III. Si Sacerdos consecraret vinum, in quod aqua nondum foret conversa, quid feret? Resp. consecratio esset valida; quia sola materia idonea consecraretur, & adoraretur.

Supplem. Theol. Sacram.

ASSERTIO XCVI.

Peccatum mortale de absoluta Dei potentia potest remitti sine penitentia. Scotus 4. d. 14. quest. 1. cum suis contra aliquos Thomistas, & Recentiores.

Probatur I. Homo offensus, ex charitate potest remittere offensam, etsi offendens illam non retractet; ergo etiam Deus poterit peccatori remittere peccata mortalia, etsi ea non retractet, nec de iis penitentiam agat. II. Penitentia est tantum dispositio ad justificationem; ergo de absoluta Dei potentia poterit peccatori non penitenti infundi gratia justificans: cum absolute loquendo forma sine dispositione introduci possit in subiectum, uti etiam defacto peccatum originale deletur sine praevia penitentia in parvulis per Baptismum.

Obicitur I. Quamdiu culpa a peccatore non retractatur, tamdiu est ei voluntaria. Resp. D. voluntaria actualiter, virtualiter, vel interpretative semper. N. casualiter, & habitualiter C. II. Deus peccatori nequit remittere peccati aduale absque penitentia: ergo nec habituale. R. N. conf. disparitas est, quia in primo casu in eodem instanti foret peccatum, quia est actuale, & non foret, quia remitteretur: non sic in casu secundo.

ASSERTIO XCVII.

Iure Divino ad remissionem peccatorum mortalium post Baptismum commissorum necessaria est eorum specifica, & numerica confessio Sacerdoti facienda. Contra Montanistas, Novatianos, Vvicleffitas, Calvinistas, Lutheranos.

Probatur I. Christus Joann. 30. dixit Apostolis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: atqui Sacerdotes non possunt solvere, aut ligare peccata, nisi ipsis a penitenti bus aperiantur: ergo Christus etiam voluit confessionem peccatorum fieri Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus. II. S. Joannes 1. Joann. 1. ait. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra. Act. 19. dicitur: Multi credentium veniebant consistentes, & annuntiantes adus suos: ergo

Obicitur I. Nectarius Episcopus Constantinopolitanus confessionem abrogavit. Resp. dist. privatam neg. publicam C. II. Confessio omnium peccatorum est impossibilis. Resp. dist. omnium mortalium memoriarum occurrentium neg. venialium, T. III. Christus Luc. 7. absolvit mulierem specificè non confitentem. Resp. dist. ante institutionem Sacramenti penitentiae, & ut Deus C. secus N.

ASSERTIO XCVIII.

Datur purgatorium. Contra Vvaldenses, Albigenes, Hussium, Vvicleffum, Lutherum, Calvinum, Zuinglium, & alios haereticos.

Probatur I. Sanctus Paulus 1. Corinth. 3. ait; Ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem. 2. Machab. 12. san- da ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. II. Quia inter peccata, alia sunt mortalia, alia venialia, ut patet Prov. 24. septies cadet justus, & resurget, & Jac. 3. in multis offendimus omnes, & remissa peccatis mortalibus quoad culpam non semper remittitur

pena temporalis, ut patet in Davide 2. Reg. 12. Aarone, & Moyse, Deut. 32. ergo potest homo cum solis venialibus, vel nondum soluta pena temporali pro mortalibus, mori: sed talis non venit in caelum: quia in illud nihil coinquatum intrabit, Apoc. 21. nec descendet in infernum, ut patet: ergo in Purgatorium.

Obicitur I. Ecclesiast. 11. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Resp. hoc est, qui decessit in gratia, aeternum manebit in ea, & e contra. II. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini. Ps. 126. Resp. dist. si nihil purgandum habeant conc. secus neg.

ASSERTIO XCIX.

Ministri verae Christi Ecclesiae debent vocari, & ordinari a Summo Pontifice, vel ab Episcopis, non a Laicis. Contra Hussitas, Vvicleffitas, Calvinistas, & Lutheranos.

Probatur. Quia in veteri Testamento Lev. 8. Aaron, & Filii ejus ex mandato Dei fuerunt consecrati a solo Moyse Sacerdote, & Pontifice, ps. 98. Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus. II. Quia Christus in novo Testamento se solo, sine consensu Laicorum vocavit, & ordinavit suos Apostolos, & Discipulos. III. Act. 14. Presbyteri Lystrae, Iconii, & Antiochia, consecrati sunt a Paulo, & Barnaba; uti & Timotheus per Episcopos consecratus est 1. Timoth. 4. noli negligere gratiam, qua data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii. Et S. Paulus scribit Tito Episcopo, cap. 1. Reliqui te Creta, ut constituas per civitates Presbyteros. IV. Nemo dat, quod non habet; atqui Laici non habent potestatem Ordinis: ergo nec eam dare possunt.

Obicitur Ad. 1. Matthias, & Barsabas fuerunt electi a tota multitudine. Resp. non ex necessitate, sed ex mera libertate, hoc Sanctus Petrus concessit isti toti sanctae multitudini.

ASSERTIO C.

Vinculum Matrimoniale qua tale potest independenter a consensu viri, & feminae induci auctoritate Divina inter ipsos. Ita Soto, Amicus, Hiquerus, Mastrius, Bosco, & plures alii contra Sanchez, & alios.

Probatur. Vinculum matrimoniale qua tale, consistit in mutuo dominio corporum inter virum, & feminam: atqui Deus potest tradere mutuum dominium corporum inter virum, & feminam in ordine ad usum conjugalem independenter a consensu eorumdem: cum sit absolutus corporum nostrorum Dominus: ergo

Obicitur I. Consensus conjugum est de essentia vinculi matrimonialis: ergo. Resp. Neg. anteced. sed est eius causa efficiens creata, quam utique Deus supplere potest. II. Nequit facere meritum absque consensu voluntatis creatae: ergo nec vinculum matrimoniale. Respond. Neg. consequ. disparitas est, quia ad meritum essentialiter requiritur libertas voluntatis creatae: non sic ad vinculum matrimoniale. III. In nostro casu vir, & femina non acceptant dominium in mutua corpora: ergo nec habent dominium. Respond. Neg. consequentiam. Quia sicut Deus pro ipsis traderet dominium, sic etiam pro ipsis acceptaret dominium.

CORONIS APPENDICIS CENTIFOLIAE, SEU RATIONES, ET MOTIVA QUINQUAGINTA

Cur quis tuta, & securissima Conscientia debeat Catholicus permanere, & in fide Romano-Catholica vivere, & mori; Item cur quis omnes alias Sectas deserere, & ad fidem Romano-Catholicam solum salvificam converti, illamque amplecti debeat

RATIO, ET MOTIVUM I.



uia non videtur ratio, cur soli Lutherani vocent se Evangelicos, & Calvinistae se Reformatae Religionis, & cur non etiam debeant sic vocari Anabaptistae, & novi Ariani, seu Unitarii? Ab his siquidem non adfertur tale argumentum hujus denominationis, quod ab his non possit aequè, ac eodem jure pro suis fidei applicari. Cum igitur non sit major ratio pro Lutheranis, vel Calvinistis, quam pro Anabaptistis, & Arianis, vel quibusvis modernis Sectariis, quos Lutherani, & Calvinistae excludunt ab his novis titulis, ipsi quoque Lutherani, & Calvinistae nec quoad rem, nec quoad denominationem possunt dici Evangelici, vel Reformatae Religionis: ergo merito haec omnes Sectae: utpote earumdem quilibetiam reiiciuntur.

II. Quia constat multos, qui in fide Romano-Catholica vixerunt, & mortui sunt, salvatos esse, ut ipsimet adversarii fatentur. An autem aliquis salvatus sit ex Sectariis modernis, nequidem ipsis A Catholicis constat: securior igitur via praesertim in negotio aeternae salutis est eligenda iuxta illud Christi Domini, Matth. 16. v. 26. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patitur? aut quam dabis homo commutationem pro anima sua?

III. Imò hinc inferitur, vel ex eo Romano-Catholicam fidem esse veram: nam sine fide impossibile est placere Deo. Ad Heb. 11. v. 6. omnis autem, qui salvatur, est in gratia Dei, amicus Dei, & placet Deo: ergo cum multi salvati sint in fide Romano-Catholica, eam veram fidem, & salvificam esse oportet.

IV. Inde ulterius deducitur, quod cum Romano-Catholica fides sit salvifica, adeoque vera, omnes ab ea diversae Religiones sint falsae: siquidem teste Apostolo ad Eph. 4. v. 5. & 6. unum est tantum Baptisma, una tantum fides vera ac salvifica, sicut unus est tantum verus Deus, ac Dominus noster.

V. Quia Catholicos posse salvari in sua Religione non solum ipsi Catholici constanter asserunt, sed A Catholicis etiam ulterò concedunt. In alia autem Religione aliquem salvari posse, soli A Catholicis, idque singuli de suis Sectis ominentur, & dicunt, quod Catholici absolute negant. Id verò, quod utraque pars etiam sibi adversa concedit, certius est, quam id, quod una tantum asserit, alter autem negat omnino: ergo securius operari volens rationabiliter facit, quod fidem Romano-Catholicam ceteris omnibus praerferat, illamque sequatur.

VI. Quia consulendo veterum, ac primitivae Ecclesiae SS. PP. scripta, ab ipsidem sola fides Romano-Catholica intelligitur extolli, suaderi, laudari: reliquas vero omnes ab ea alienas rejici, & damnari. Horum igitur prudentissimum consilium, ac Judicium sequi optime statuitur.

VII. Quia omnes sancti, & sanctae Dei, qui, & quae fuerunt ab instituta Ecclesia a Christo usque ad praesens tempus; fuerunt, ac vixerunt in Ecclesia Romano-Catholica.

VIII. Quia in Testimonium veritatis hujus Religionis subierunt tot millia Martyrum durissimam mortem, ac sanguinem suum profuderunt praesertim in urbe Romana, uti in Catacumbis illius loci ad S. Pancratium, ad S. Sebastianum, & alibi videre est.

IX. Quia omnes, qui ab Ecclesia recesserunt, ac eam impugnaverunt: ut Arius, Mahometes, Pelagius, Marcion, Macedonius &c. aeternis ignibus addicti sunt, uti, & eorum sequa-

ces. Tales autem Haeresiarum fuerunt etiam Lutherus, & Calvinus, ac alii inventores modernarum sectarum. Proinde consultum non est, aeterno damnationis periculo illos sequendo se se exponere; neque enim videtur potior ratio, cur Pelagius, & Arius sint haeresiarum, & cur non etiam Lutherus, & Calvinus.

X. Quia Romana fides fuit eadem cum fide S. Pauli, ipso S. Apostolo attestante, ad Rom. 1. v. 12. cur igitur deberet quaeri alia fides, quam qua fuit S. Pauli!

XI. Quia si Romano-Catholica fides non praereligitur, numquam electionum inter alias Religiones hinc finis cum antiqua quiete obtinebitur: semper enim dubitari poterit, quana ex tot, & tam variis Sectis sit vera fides, ac salvifica.

XII. Quia Doctrinae aliarum Religionum continent plurima Paradoxa, incredibilia, & rectae rationi prorsus difformia v. g. docent inter alia, quod omnia peccata sint equalia, nec ullum detur peccatum, quod sit veniale: unde sic arguitur: verbum otiosum est peccatum, cum Christus Dominus minetur de omni verbo otioso dandam esse a nobis in die Judicii rationem, Matt. 12. v. 36. ergo secundum hoc dogma Novatorum est equalis reliquis peccatis, cum Christus blasphemiae, & peccato incredulitatis, & peccato Apostasiae a fide Christi. Si est equalis his peccatis peccatum otiosi verbi: ergo est etiam equalis culpe. Si est equalis culpe, etiam equalis meretur poenam, si aequalem meretur poenam, etiam aequalem habet remissibilitatem, vel irremissibilitatem, & per consequens aequè difficulter remittitur, ac alia peccata: & tamen Christus de poenis & remissibilitate peccatorum longe aliud docuit: nam Matt. 5. v. 22. dicit: Qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio. Qui dixerit Raca, reus erit concilio. Qui dixerit, facite, reus erit gehennae ignis: ergo irae affectus erga proximum meretur siquidem aliquam poenam, sed majorem verbum acerbum, & adhuc majorem verbum consuetiosum. Deinde 1. Joan. 5. v. 16. dicitur: est peccatum ad mortem: ergo est peccatum aliquod, quod non sit ad mortem: ergo non omnia peccata sunt aequalia. Demum Prov. 24. v. 16. habetur, Septies enira cadet justus, & resurget, impii autem corruent in malum: ergo sunt aliqua peccata, quae non tollunt, habitualem Justitiam, & sunt alia, quae eandem tollunt, consequenter omnia peccata non sunt aequalia.

Item docent, omnia nostra bona opera esse peccata: & juxta eosdem omnia peccata sunt aequalia: ergo omnia nostra bona opera sunt peccata aequalia peccatis reliquis: igitur orare Deum erit aequale peccatum, ac blasphemare contra Deum, & elemosynam dare pauperibus erit aequale peccatum, ac eundem spoliarè, & injustè possessam rem reituerè proprio illius Domino, erit aequale peccatum, ac eandem apud se invito Domino retinere. En! Paradoxa incredibilia, & dogmata prorsus irrationabilia.

XIII. Quia omnes modernae Religiones diversae a Religione Romano-Catholica sunt novae, & tales, quas nemo tenuit, docuit, aut secutus est ante annum 1517. Omnis autem plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicaabitur. Matth. 15. v. 13.

XIV. Quia omnes haec novae Religiones sunt tantum ex antiquis haeresibus jam pridem ab Ecclesia diversis temporibus condemnatis confarctatae, & quidem ineptissimae.

XV. Quia soli Ecclesiae Romano-Catholicae conveniunt & quidem apostolicè notè verè Christi Ecclesiae, nempe quod sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica.